



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Quænam Sigilli secreto continentur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

per alium facere quod potest per se ipsum. Et aliquando ad id tenetur, v. g. ad avertendum damnum reip. vel tertii: ac proinde si eam denegat, non debet absolvi, cum sit indispositus.

Dixi 2. *expresso*. Nam non sufficit consensus præsumptus, vel interpretativus, ut cum Confessor judicat Pœnitentem facultatem concessurum, si peteretur. Quia si non requireretur expressus consensus, Confessio redderetur valde odiosa & onerosa: saepe enim multi Confessarii ex imprudentia putarent ejusmodi revelationem esse gratam Pœnitenti, cum tamen valde displiceret: sicque merito timerent Pœnitentes ne aliquo casu ex simili præsumptione peccata sua proderentur. Unde graviter peccat Confessor contra Sigillum, si plura peccata aut pluribus aperiat, quam Pœnitens expressè consensit: vel si facultatem illam injuriâ aut fraude ab eo extorqueat, falsò ei persuadendo illum teneri hanc concedere, aut quid simile. Item non sufficit quòd teneatur concedere, si reipsâ non concedat; nam nihilominus redderetur Confessio odiosa.

Q. 2. Quenam Sigilli secreto continentur?

Resp. Ea omnia quæ per Confessionem deteguntur, scilicet omnia peccata tum mortalia tum venialia, tam interna & occulta quam externa & publica, eorumque circumstantiæ; item tentationes, vitia, cupiditates, indispositio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, scrupulositas, & ignorantia Pœ-

Gg s

nitentia-

nitentis; defectus natalium, peccatum complicis materia ac objectum peccati; persona quæ est objectum, causa, circumstantia vel occasio peccati, aut aliter; item quæcumque à Pœnitente dicta sunt ad pleniorum peccatorum, conscientia ac dispositionis suæ manifestationem, sive reipsâ, sive ex falsâ ejus opinionem ad eam manifestationem pertineant, vel utilia sint, etiam si ad alios spectent, & alia quælibet quæ Pœnitens non vult ut detegantur. Ratio est quia revelatio quorumvis istorum redderet Confessionem odiosam, cum molestiam vel infamiam vel dedecus inferre nata sit Pœnitenti; præsertim cum multi nesciant discernere, quæ possint ac debeant dici aut omitti in Confessione. Imo juxta Conink & alios, contra alios, Pœnitentis defectus, quos Confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest, cadunt sub sigillum, ita ut illud violaret, si dicat Pœnitentem esse scrupulosum, impertinentis & naniis tempus contere, esse morosum, & his similia. Nam hoc aptum est reddere Confessionem odiosam: ideoque in praxi vitandum.

Q. 3. Quomodo violatur sigillum Confessionis?

Resp. Dupliciter 1. directè, revelando expressè aliquid ex sola Confessione cognitum. 2. Indirectè, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum Pœnitentis aut aliorum, aut quævis per Confessionem cognita, ex quibus